



**G**eorgius Regularis cuiusdam in Hallstatt ad Moenum oppido filius fuit. Is cum literarum fundamēta percepisset, atq; miro studiorum ardore flagraret, monasteriū Montismonachorum petijt, & ibi Benedictinorum ordinem suscepit. Monasterium illud, extra muros Bambergensis ciuitatis amplissimum, fundatum est in honorem S. Michaëlis Archangeli à S. Heinrico Imperatore, et S. Chunigunde eius uxore, anno 1015. Ibi cum Georgius in sacris & prophanis literis plurimùm profecisset, atq; morum honestate & integritate conspicuus esset, post Ratonem primū abbatem, 42 constituitur. In ea functione is optimè perrexit, & ma-

gnam apud omnes gratiam inijt. Erat enim Mathematicum studiosus inuestigator, & Solariorum, omnisq; generis horologiorum ingeniosissimus cōpositor. præterea insignis scriba, qui elegantissimè pingere posset. Pacis etiam & concordiaë egregius interpret, atq; discordiarum diligens sopitor, ut meritò Pacificator appellandus fuerit. Inuenit is cœnobium undecim millium aureorum debitis obēratum, cuius tamen conflati aris alieni maximam partem prudenti sua gubernatione exoluit, totumq; monasterium tam ædificijs, quàm omnis generis ornāmētis præclarè illustrauit. Cum hoc modo per 10 annos præfuisset, 24 April. anno 1549 obiit, & in ambitu ante aram S. Othonis Episcopi, à se constructam, honorificè sepultus fuit. Ei uerò Vuolfgangus Zenckius successit. Casp. Bruschi. in Monast. Germaniæ.